



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 78. Ejusdem Pontificis gesta in Pontificatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII. ejusdem Pontificis cadaver in magnifico mausolæo juxta tumulum Leonis X. & Innocentii X. P. P.

§. LXXVIII.

Innocentii XI. Papæ gesta in Pontificatu.

*Hode Hist.
de Louis
XIV. l. 46.*

Quanto Zelo, animique constantia sanctissimus hic Pontifex Urbem, Aulamque suam optimis moribus instructam esse desiderarit, atque Ecclesiasticam disciplinam legibus & exemplis egregie sustentarit, jam sæpius in hujus Historiæ decursu memoravimus: singularis tamen erat illius liberalitas, quacum ipsum quoque Cælum certasse videtur; nam quo profusius ipse expendit aurum, eo copiosius rediit; quantumvis enim Leopoldo Cæsari vicies centena, Polonis tercenties, Neapolitanis quinquaginta aureorum millia, Venetisque ingentem auri vim erogasset, necnon centum scutatorum millia in pias causas designasset, & sexcenta aureorum millia in pauperes Virgines, & Templorum urbiumque reparationem distribuisset, nihilominus ærarium Pontificium, non solum gravissimo ære alieno liberavit, sed etiam ducentis aureorum millibus ditavit, & septingenta circiter scutatorum millia annuorum pro-

proventuum reliquit præter pretiosissima dona, quæ sæpius pro locorum temporumque opportunitate elargitus est. Celebratur ab ipsis Protestantibus ob animi integritatem, innocentiam, rerum omnium sæcularium contemptum ac magnanimitatem: non deerant tamen nonnulli. qui in splendido hoc sole maculas deprehendisse crederent, ac primo quidem ipsum Nepotibus suis æquo severiorem fuisse incusant; ast quam profunde hi nasutuli ungues suos in Nepotismi ulcus immerfissent, si Innocentius ex Ecclesiæ mensa buccellas panis Nepotibus suis porrexisset: nempe facilius Momo, quam ejusmodi censoribus satisfieri posset. Ceterum Galli huic Pontifici inflexibilis obstinationis vitium exprobant, eo quod nec armis nec minis compelli potuerit, ut Regaliæ extensionem atque Oratorum immunitates ratas haberet, si vero Innocentius adeo severum se erga Cæsarem ostendisset, absdubio ejus obstinationem Galli in animi firmitatem, ejusque decisiones in æquitatis prodigia transmutassent: lidem etiam Papam accusant, quod Fürstenbergii Electionem rejiciendo, Jacobi II. Angliæ Regis exitium accelerarit; perinde ac si Innocentio imputari posset, quod Galli inopino impetu armis suis Philippoburgum

Sæc. XVII.
A. C. 1689.

Sæc. XVII
A. C. 1689. gum invaserint, cum tamen arma sua in Batavos convertere, eosque præpedire potuissent, ac debuissent, ne hi suo milite & classe Arausium Principem in Angliæ solium intruderent. Alii etiam Innocentium Jansenistis & Molinosio nonnihil favisse criminantur: aut eum parum Jansenistis patrocinarum fuisse videtur, dum illorum libros & præcipue Novum Testamentum Montense, Molinosii vero errores diplomate Apostolico damnavit: inter anniles fabulas rejici meretur illorum calumnia, qui hunc Papam in Protestantium favorem Bullam Cænæ promulgare, & Edicti Nannetensis abrogationem ratam habere, tergiversatum fuisse mentiuntur: Flocci habenda sunt ista, quæ cum palam falsa sint, negare fatis est, atque ex ipso inimicorum testimonio comprobatum habetur, quod ipsa etiam maledicentia alias in carpendis Pontificibus nimium fœcunda nequidem vitium, quo Innocentius dignitatis suæ prærogativam, aut nominis honorem contaminasset, hucusque excogitare potuerit. Agitur etiam ejus Beatificationis causa in Sacra Rituum Congregatione.

§. LXXIX.